



The Holy See

LEO PP. XIII

MOTU PROPRIO

PLACERE NOBIS*

SSMI. D. N. LEONIS XIII QUO DEPUTATIO TRIUM EMORUM CARDINALIUM CONSTITUITUR
AD DIRIGENDAM ET CURANDAM OMNIUM OPERUM S. THOMAE AQUINATIS EDITIONEM

Placere Nobis, omnia sancti Thomae Aquinatis Opera de integro publicari, superiore anno significavimus per Litteras Nostras idibus octobribus datas ad Cardinalem Praefectum Sacri Consilii studiis disciplinarum regundis. Eiusque causam propositi hanc esse diximus, ut longe lateque fluat Angelici Doctoris excellens sapientia, qua opprimendis opinionibus perversis nostrorum temporum fere nihil est aptius, conservandae veritati nihil efficacius. Nunc autem quia commodum videtur esse manum operi admovere, decernenda Nobis nonnulla esse censemus, quae spem laetam portendunt, futurum ut coepta Nostra ad exitus pervehantur optatos.

Primum itaque, ne almae Urbi Nostrae haec pereat laus, editionem, quam supra diximus, reservatam esse volumus Officinae librariae Sacri Consilii Christiano nomini propagando, clarae iam ob alia magnae molis et laudati operis edita volumina.

Editioni autem curandae destinamus ac praecipua auctoritate praeesse volumus tres sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales; scilicet Antoninum de Luca Praefectum Sacri Consilii studiis, regundis; Ioannem Simeoni Praefectum Sacri Consilii Christiano nomini propagando; Thomam Zigliara ex Familia Dominicana, ad disciplinam s. Thomae apprime institutum atque eruditum. His autem ius et potestas esto statuendi ac decernendi Nostro nomine quidquid ad rem pertinere intellexerint. Quare prospiciant ut omnia ac singula Angelici Doctoris Opera integra prodeant, additis clarissimorum Interpretum Thomae de Vio Cardinalis Caietani in *Summam Theologicam* et Francisci de Sylvestris Ferrariensis in *Summam contra Gentiles* commentariis. Similiter curent et provideant ne literarum optima forma, ne accurata emendatio, ne intelligens in rerum singularum

delectu iudicium desideretur; ac demum constituent quo ordine, quo tempore singula volumina in lucem oporteat proferri.

Quod vero ad expensas attinet, argenteorum ilallicorum CCC millia Nos ultro damus atque addicimus suppeditandis sumptibus in praesenti necessariis. Reliquo autem tempore necessarios suppeditari volumus ex eiusdem Sacri Consilii Fidei propaganda e aerario: cui tamen quidquid erit vendendis exemplaribus redactum pecuniae, tamdiu in rem cedat, quoad par ratio fuerit acceptorum et expensorum. Si quidquam eidem accrevisse contingat, accrescentem pecuniam omnem insumi iubemus in lucubrationes eorum Scriptorum edendas, qui s. Thomae Aquinatis illustrandis operibus maxime excellent. Cui vero inter illos scriptores decerni primas oporteat, viderint ipsi Cardinales quos nominavimus: hoc tantum monemus, eos scriptores esse ceteris anteponeudos, quorum doctrina maiorem fructuum ubertatem sit allatura, et temporum necessitatibus accommodatior esse videatur.

Datum Romae apud S. Petrum die 18 Ianuarii 1880. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

LEO PP. XIII

*AAS, vol. XII (1879), pp. 337- 338.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana